

The Electronic Manipulus florum

www.manipulusflorum.com

Misericordia r cum fonte primo

Sunt quidam misericordes de hiis que ad ipsos non pertinent; qui scandalizantur quod non datur omnibus habundanter, sic tamen ut ipsi ne in modico quidem grauentur; qui si misericordes essent de suo facere deberent misericordiam, si non possent de terrena substantia, de uoluntate bona darent eis; qui contra eos fortasse peccare uidentur, darent dulce signum, uerbum bonum quod est super datum optimum ut eorum mentes ad penitentiam prouocarent. Denique hiis omnibus quos esse in peccato cognoscerent, compassionem impenderent et orationem. Alioquin misericordia illorum nulla est, et misericordiam consequuntur nullam.

Bernardus sermone IIII.

Sunt alii misericordes de his quae ad ipsos non pertinent, qui scandalizantur quod non datur omnibus abundanter, sic tamen ut ipsi ne in modico quidem grauentur: qui si misericordes essent, de suo facere deberent misericordiam; si non possunt de terrena substantia, de uoluntate bona darent his, qui contra eos forte peccare uiderentur, indulgentiam; darent dulce signum, uerbum bonum, quod est super datum optimum, ut eorum mentes ad paenitentiam prouocarent. Denique et his, et omnibus quos in peccato esse cognoscerent, compassionem impenderent et orationem. Alioquin misericordia illorum nulla est et misericordiam consequitur nullam.

Bernardus Claraeuallensis, *Sermones in aduentu Domini*, 4, 6 (SBO 4, J. Leclercq, C.H. Talbot, H.M. Rochais eds., p.186, ll.6-14).